

CONCIO V.

CUR BENEDICATUR ET BIBATUR VINUM BENEDICTUM,
UT VOCAMUS S. JOANNIS.

I. In signum amoris. — II. In confortamentum animæ
ad patiendum. — III. In sanitatem nostram. — IV.
In cautelam ebrietatis.

THEMA.

Hic autem, quid? Joan. ult.

Nisi adeo mihi perspecta et multimode probata esset fides S. Petri, dicerem illum in hodierno evangelio ex olla Lutheri vel Calvinii aliquid degustasse, adeo patheticè representat hæreticorum nostrorum morem in illa sua curiosa interrogatione: *Hic autem quid?* Quidquid enim nos catholici agamus, mox adsunt illi et quærant: *Hic autem quid?* Institimus litanias et processiones, et mox dicunt: *Hæ autem quid?* Benedicimus candelas et accendimus in templo, et illi: *Hæ autem quid?* Benedicimus cineres, et iis nos aspergimus, et illi: *Hi autem quid?* Benedicimus et gestamus palmarum ramos, et illi: *Hi autem quid?* Benedicimus aquam et salem, et illi: *Hæ autem quid?* Hodierna die benedicimus vinum et bibimus ad amorem S. Joannis, et ipsi dicunt: *Hoc autem quid?* Nimirum hoc questionandi et carpendi genus didicerunt a malo genio, qui primis nostris parentibus objecit: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederitis de omni ligno?* Respondendum igitur illis est, sed quemadmodum Sapiens dixit, Prov. XXVI. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Nam et Dominus Petro curiose interroganti ita respondit, ut Petrus et cæteri discipuli, præter Joannem, responsionem non intelligerent, quia non ipsos, sed Joannem tantum attinebat.

I. Bibamus, o hæretici, hoc vinum ut mutuam inter nos contrahamus fraternitatem; siquidem ut videtis omnes ex eodem poculo bibimus. Serio bibimus vinum hoc benedictum in signum fraternæ dilectionis, siquidem Sanctus Joannes bibit poculum vini venenatum ob eandem causam, ut scilicet pontificem idolorum Aristodemum, cum eo ingentem populum infidelium ab idololatria converteret ad fidem. Nam ut scribit S. Isidorus de patribus novi testamenti, cap. LXXIV. et Petrus de natalibus episcopus, in catal. ss. cap. VII. Cum Aristodemus ei diceret, se tum demum fidem amplexurum, si Joannes ebibisset poculum vini venenatum sine læsione, conditionem alacri animo accepit Joannes: verum ut constaret veneni vehementia, Aristodemus petiit

prius a proconsule duos capitis reos, quibus venenum Joanni prælibandum dedit, qui paulo post inde extincti sunt. Tunc itaque venenum bibit S. Joannes et quidem sine ulla læsione: nec hoc tantum, sed eodem etiam poculo duos illos extinctos reos ad vitam restituit, teste Isidoro, uti supra. In qua re cernimus dilectionem proximi in Joanne ferventem, causam fuisse, cur ille venenum ebiberit. Hujus igitur dilectionis admone-mur hodie ab Ecclesia, cum vinum hoc nobis proponitur, ut videlicet communi hoc potu sacro quasi confederati, cum commoditas aut necessitas aliqua occurrit juvandi proximum, parati simus quasilibet amaritudinem devorare, et cum periculo etiam vitæ salutem ejus procurare. Hoc est quod S. Joannes discipulis suis toties commendavit usque dum inferretur sepulcro: *Filioli diligite alterutrum.* Vidimus alibi ejusdem apostoli factum, quo juvenem e disciplina ad atrocitiam dilapsam ingenti amore reduxit. Quousque vero diligendi proximi sint exposuit in 1. sua epistola, cap. III. dicens: *Quoniam ille (Deus) animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.* S. item Augustinus, 1. de mendac. VI. *Temporalem vitam suam pro æterna vitæ proximi non dubitabit Christianus amittere:* Christi videlicet exemplo, qui sui morte corporis mercatus est nobis vitam æternam. Quam dilectionem imitatus S. Franciscus Xaverius dicebat, se nihil magis in votis habere quam ut Sinarum salutem sua morte representaret: et puella illa Alexandrina, licet gentilis adhuc, apud Joan. Eviratam, in prato spirituali, c. CCVII. quæ parentibus orbata, homini suspendium sibi ob debitorum multitudinem machinanti, totum patrimonium suum donavit, ut cum a suspendio revocaret. Quæ propterea ad mendicitatem redacta cum baptismum peteret, nec patrinum obtinere posset, angelum patrinum sortita est, in præmium tantæ suæ dilectionis. Similiter temporalem proximi vitam bonis fortunæ conservare debemus, et quandoque etiam ei postponere spiritua-lem nostram commoditatem, quando scilicet hæc nobis necessaria non est, quia: *Misericordiam volo, ait Dominus, et non sacrificium.*

II. Ut hac quasi illecebra discamus vinum bibere et poculis respondere. Crediderim hic hæreticos facile se nobis adjuncturos, si modo benedictionem non adderemus vino, sed nos catholici aliter rem intelligimus. Cum enim sciamus Christum Joanni aliquando propinasse calicem passionis si ad ejus latus sedere vellet in cælo, et D. Joannem pro gloria illa et amore Christi venenatum ebibisse poculum, hoc eodem potu benedicto moneremur ab Ecclesia, ut similiter

pro amore Dei et cælesti beatitudine nihil audeamus amaritudinis exhaurire. Responderunt Christo primo apostoli, de quibus S. Augustinus, in 1. soliloqui. c. XXII. ait: « Ibat Andreas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipsos apostolorum principes sic replevit ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferientis gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit: pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit. » Hæc Augustinus. Magni sunt hi haustus, quos apostoli fecerunt: et si majorem in Joanne requirimus, exhaust ille integrum dolium fervente oleo plenum, quod propinavit ei Domitianus imperator, quia in id immissus fuit. Respondere igitur et nos pro modulo nostro debemus, tametsi nostri calices longe mitiores sunt calice Joannis et apostolorum: sic hoc vinum benedictum longe differt a vino, quod Joannes bibit. Calix noster paupertas est, fames, morbus, injuria, contumelia et quæcumque tandem tribulatio, ad quem exhauriendum invitavit etiam nos ille, qui Joanni et Jacobo dixit: *Potes-tis bibere calicem?* Matth. XXII.

Speciatim vero omnibus nobis, magnus aliquando calix ebibendus est, mortis videlicet; quem prior exhaust Christus est nobis propinavit, sed in nostra potestate et eum suavem vel amarum facere. Si enim bene vixerimus: *Pre-tiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus;* si autem male: *Mors peccatorum pessima.* Potes facere ex necessitate virtutem, ut libenter pareas sententiæ in te latæ, et ita offerre Deo vitam tuam in testimonium obedientiæ christianæ. Quoties ergo calicem hunc benedictum bibimus, cogitare debemus, qua ratione calicem illum mortiferum aliquando bibitori simus. Sicut enim vinum aliquando acerbum per herbarum succos vel aromata potest condiri et fieri potabile: sic mors aliquando acerba, condiri et dulcorari potest bona vita et operibus præcedentibus, ut suavis et jucunda fiat.

III. Bibimus in sanitatem nostram. Sic enim orat Ecclesia in benedictione hujus vini: *Ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis.* Imprimis ergo contra venenatum et quemcumque alium potum noxium solet Ecclesia ex antiqua consuetudine benedicere hoc vinum: imo ad alias etiam corporis et animæ insidias depellendas. Cum enim S. Joannes venenum sine læsione ebiberit, non temere crediderunt veteres, potum sibi non fore noxium, quem in honore et benedictione Sancti Joannis sumerent. Nec vanam esse hanc benedictionem demonstravit Deus multis

eventibus naturæ vim superantibus. S. Malachias episcopus Hiberniæ poculo benedicto mulierem a morte liberavit, vita etiam fœtui conservata, ut salvus et incolumis in lucem ederetur, teste S. Bernardo in ejus vita: Walbertus comes cum ex equo lapsus in petrosam humum membris conquassatis et femore contrito præsentem mortem expectaret, et vero e vino sacro, quod ei S. Bertinus abbas miserat, bibisset, eadem hora convaluit, ut est in vita S. Bertini apud Surium, tom. V. Ad hæc S. Vincentius ordinis D. Domini, parum acescentis vini in optimum et plane generosum adhibita benedictione convertit, unde aliquot millia sitim levarunt. Pauxillum etiam vini, cui benedictionem impertiverat, sex millibus hominum uberem largumque potum præbuit, Fr. Ferrar. in catal. sanctorum Italia. Ad hæc non semel sagarum confessionibus innuit, illis ad vasa vinaria, quibus aliquid de benedictione S. Joannis infusum erat, non patuisse aditum, neque pro symposiis suis merum deprimere potuisse. Unde non male agunt, qui vinum benedictum doliis suis infundunt.

Sed aliud adhuc venenum est, quod Ecclesia extinguere optat benedicto illo vino, peccatum videlicet. Sic enim orat in benedictione vini expressa in sacerdotali quondam apud Grester. de benedict. lib. I. cap. XXXVIII. « Deus cujus potestate B. Joannes evangelista potum venenosum et toxicum digessit, benedicere et consecrare digneris hanc creaturam vini, ut omnium ex eo gustantium, expulso omni gustu nocivo, infuso tuæ benedictionis mysterio, sit in terris corporis et animæ remissio criminum et in cælo perpetua consolatio. » Peccatum venenum est, quod animam interficit, et tamen a multis avidissime bibitur ac diutissime retinetur. Unde Job, cap. XV. ait: *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam, iniquitatem.* Et mirum profecto est, quomodo aliqui hoc venenum tamdiu gustare in corde queant nec subito pereant, cum peccata Deum et omnes creaturas contra peccatorem ad ultionem incitent. Hinc igitur veneno digerendo optat et precatur in hodierna vini benedictione Ecclesia, ut vinum S. Joannis benedictum sit quasi theriaca, non quasi hoc vinum directe pel-lere queat peccatum; sed ut indirecte saltem extinguat, disponendo peccatorem ad peccatorum suorum cognitionem et inflammando ad contritionem, quomodo S. Bernardus aliquando cerevisiæ benedictæ potu obstinatos quosdam milites nolentes vel ad breve tempus arma deponere illinita, ita convertit, ut accensi penitentia et piis desideriis ad monasterium redirent et mundo renuntiantes sacræ militiæ nomen darent, (ut ejus

vita, l. I. cap. XI.) adeoque arma noxia omnino deponerunt. Ideo bene vocatur hoc vinum amor S. Joannis : quem scilicet ipse impendit Christo, cum venenum bibit. Quod autem efficacius peccato expellendo remedium quam amor Christi? Cogitemus cum benedictionem istam bibimus : Hunc calicem amarissimum pro me Christus bibit, quem ego bibere debuissim : et dum ego peccare pergo, non desino ei rursus propinare illum calicem. Et nunc ego faciam ut frustra biberet Christus, etc.

IV. Ut per hanc benedictionem vinum ipsum a noxa et veneno purificetur. Ergone dicit hæreticus immunda est et noxia vini creatura? Sane hoc non imprudenter credidit olim Cyrus adhuc puer, cum videns aliquos, vini ingurgitatione, de potestate mentis et corporis dejectos, venenum subesse vino ratus est, ideoque bibere renuit, apud Xenoph. in Cypod. Et nonne de vino ait Sapiens, Prov. XXIII. *Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber et sicut regulus venena diffundet?* Vinum a Deo creatum est, ut exhilararet hominem et sanitatem tueretur : at plerumque homines eo abutuntur ad suam ipsorum perniciem, tam ad vitæ abbreviationem, quam ad animæ perditionem. Notat S. Chrysostomus, Noen ex vite vinum expressisse, ut eo suum et aliorum hominum post diluvium mœrorem, labores et infirmitatem leniret et roboraret : vinum enim lætificat et roborat cor hominis. Sed cum deberet esse vinum sanitas hominis malitia hominum factum est venenum et occasio perditionis. Idcirco videtur mihi Ecclesia hodie nos docere velle, qualiter uti vino debeamus. Sic enim precatur in benedictione cum ait : *Per istos sermones sancti evangelii benedicat Dominus noster Jesus Christus hunc liquorem vini, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis, Amen.* Exod. XXXII. legimus Moysen contrivisse vitulum aureum quem adoraverant Judæi, et sparsos in aquam cineres ejus, dedisse eis in potum : ne intelligerent Judæi, vitulum non esse aliquid quod adorari debeat, sed quod mactari et ab hominibus devorari. Similiter quoniam vinum est occasio multorum malorum : *Vino enim debemus quod soli animalium non sitientes bibimus*, ait Plinius, lib. XXIII. cap. I.) adeoque Deus ebriosorum : idcirco hodie Ecclesia benedicit illud et benedictum nobis porrigit, admodum moderate degustandum, ut doceat vinum non habendum pro Deo, sed cum benedictione et moderamine sumendum ad salutem animæ et corporis. Sanctus Wilebrordus, ut in ejus vitascribit Alcuinus, haustu benedicto insanabilem et rapidam cujusdam sitim extinxit ac profligavit. Hoc idem Ec-

clesia peroptat, ut vini scilicet benedicti potus intemperantiam nostram extinguat. Androcles sapientia clarus, ut scribit Plinius, lib. XIV. cap. V. ad Alexandrum M. scripsit intemperantiam ejus cohibens : *Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinem terræ.* Similiter Ecclesia uti per sacros cineres admonet nos humilitatis et mortis, per sacri vini gustationem admonet nos temperantiam, q. d. memento, o homo, te bibere sanguinem terræ, id est, creaturam nobilem, qua non ubique, nec in tanta copia crescit ut fruges aliæ, qui discamus eo parce uti, et ad sanitatem tantum animæ et corporis, etc.

Preceditur ergo Deum, ut det nobis ad salutem animæ et corporis bibere hoc vinum hic in terris et postea illud novum in cœlis

CONCIO VI.

BENEDICTIONES IN ECCLESIA USITATÆ DEFENDUNTUR.

I. Ex Scriptura. — II. Ex ss. patrum traditione. — III. Ex veterum consensu. — IV. Ex effectibus et finibus.

THEMA.

Exiit sermo iste inter fratres. Joan. ult.

Non miror, auditores, si tot falsi rumores, tot inania figmenta spargantur inter hæreticos de Ecclesia catholica ; siquidem audio in hodierno evangelio intra ipsos etiam Christi discipulos ortum fuisse inanem et falsum rumorem ex verbis Christi male intellectis circa Joannis mortem. Quis fidat ergo rumusculis hæreticorum, qui pene omnia sinistre intelligunt? Si Lutheranis et Calvinistis credimus, omnes nos hodierna die gravissimo scelere obstringimur, dum ut ipsi clamitant, gentilium insanias imitamur, imo necromanticis præstigiis utimur, quando vinum benedictum delibamus. Quod si verum est, auditores, non vinum contra venenum, sed venenum ex vino bibimus. Verum sermo iste exiit inter hæreticos ; unde nihil nos conturbet. Bibite amici et inebriamini amore S. Joannis, qui venenum sine noxa bibit, et fluentia evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Bibite vos de gremio Ecclesiæ propinatum vobis sacrum poculum : proderit enim, non oberit. Quod ut palam fiat, defendemus benedictiones in Ecclesia usitatas, et ostendemus stultum et inane esse figmentum hæreticorum.

I. Ex Scriptura, quæ continet exemplum et documentum. Exemplum Christi, Matth. XIV. et Lucæ IX. qui panem et pisces multiplicaturus aspexit in cœlum : *Et benedixit eis* (Græce, *benedixit*

eos) eaque benedictione multiplicavit. Cur hoc Salvatoris factum non liceat imitari? Respondent hæretici fuisse hoc miraculum, ideoque in exemplum non esse trahendum : sed inepte, multiplicatio enim panum miraculum fuit, non item benedictio. Jam ergo si panis recte ac religiose benedicitur, cur non etiam aqua, sal, oleum caro, etc. Quomodo enim panes et pisces magis sunt capaces benedictionis quam creaturæ aliæ?

Documentum habemus S. Pauli, qui 1. Tim. IV. ait : *Omnis creatura Dei bona est et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur ; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Quem locum Theophylactus ex S. Chrysostomo recte respondit per hypothesein seu concessionem, dando quod si aliqua creatura polluta esset, posse eam sanctificari, et mundari per benedictionem. *Demus*, inquit, *quod quidpiam sit immundum, sed habes medicinam ; signa, gratias age, glorifica Deum, ac defecit immunditia.* S. vero Chrysostomus, hom. XIII. in ep. 1. ad Tim. ait : *Medicamentum in promptu est, signum crucis illi* (cibo seu rei qua vis uti) *imprime, gratias age, Deo gloriam refer, et protinus immunditia omnis abscessit.* Habuisse autem dæmonem potestatem nocendi hominibus per creaturas scribit S. Augustin. de civit. lib. XVIII. cap. XVII. et XVIII. S. Gregorius, lib. I. dial. capite IV.

II. Ex ss. patrum traditione. Primo, S. Mattheus apostolus apud Clementem 1. tertium Petri successorem, l. VIII. constit. cap. XXIX. statuit ut certa verborum formula benedicatur aqua. In qua inter alia orat : *Tribue ei vim sanandi et depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi insidias, per Christum spem nostram.* Idem Clemens alibi tradit formulam benedicendi aquam baptismalem, apud Gretser. de benedict. l. V. c. III. Post illum Alexander I. sextus Petri successor, qui anno Domini 132. martyrio coronatus est, decreto sancivit, ut aqua aspersionis cum sale benediceretur in habitaculis hominum, apud Anastasium, et habetur c. Aquam, de consecr. d. III. non tamquam primus et inventor hujus ritus (ut hæretici oblatrant) sed ex more veterum recepto. Sic enim ait : *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti : aspersi santificentur et purificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Ejusdem ritus in Ecclesia recepti meminere patres posteriores, Basilius, Cyprianus, Cyrillus Jerosolymitanus, Ambrosius, Augustinus, et antiquissimus ille Dionysius Areop. de cœlesti hierarch. c. de baptis.

Idem non difficile de aliis rebus benedicti solitis ostendi potest. De benedictione olei habemus testimonium Clementis, Dionysii, ubi sup. Basili,

V. PARS FESTIVALIS.

item et Augustini, apud Bellar. de cultu ss. l. III. cap. VII. de benedictione panis, August. testimonium, necnon Paulini : de benedictione cerei paschalis, testimonium Zozimi, Pp. et Concilii IV. Toletani : de benedictione palmarum et cinerum, testimonium B. Maximi : de benedictione fructuum, testimonium Eutyechiani Pp. ep. 1. ad Joan. et episcopos Boeticæ. Quis autem non malit stare sententiæ tantorum patrum et Ecclesiæ antiquitati, quam calumniis paucorum novatorum?

III. Ex pio veterum Christianorum sensu, et consensu. Ubi quævis enim periculum aliquod vel insidias seu dæmonum seu malorum hominum subesse metuebant, ibi se benedictione muniti desiderabant. Matres petebant a presbyteris, et episcopis benedictionem suis prolibus, etiam quas adhuc in utero gestabant, uti Eudoxia mater Theodosii junioris, apud Marcum Gazensem, tom. Surii : mater item S. Stephani junioris, qui pro defensione ss. imaginum martyrium subiit, ut in ejus vita inter opera Damasceni. Sponsi et sponsæ non seipsos modo, sed et certa et annulos suos sacerdotibus benedicendos offerebant, ut videre est in euchologio Græcorum : item : *Qui filios suscipere non poterant*, inquit Georgius presbyter, in vita S. Theodori Sicæorum archimandritæ, ad B. Theodorum confugiebant, zonas quibus ipse benedixerat assumebant, et precibus ipsius fiebant voti compotes. Cujusmodi beneficio et benedictione zonæ parentum suorum se ipsum quoque natum scribit idem Georgius. Alii domos, thalamos, cibos, semina et segetes, herbas, naves, vexilla et enses in hostem ferendos benedicti faciebant.

Quis autem dicat pios illos Christianos in hoc insaniisse ; idololatriam vel magiam, ut vocant hæretici, in hoc incurrisse?

IV. Ex finibus et effectibus benedictionem illam sæpissime secutis. Est autem triplex finis illarum benedictionum. Fiunt enim primo, ad significandos spirituales effectus, et repræsentandas res invisibiles præsentis vel præteritis, et ut hinc excitetur affectus. Non sunt adumbrationes rerum futurarum, uti erant cæremoniæ Judæorum. Primo, agnum paschalem in paschate benedicimus, tum ut recordemur grata memoria Agni illius immaculati, Christi, pro nobis in paschate immolati, tum ut esum carnium, per quadragesimam intermissum cum benedictione resumamus. Secundo, panem, ut, reficit nobis in memoriam, et significet beneficium venerabilis eucharistiæ ; quam et ille significabat, quem Christus in deserto benedixit. Tertio, vinum amaris S. Joannis, in memoriam illius charitatis, qua S. Joannes ob amorem proximorum ad fidem perducendo-

rum, ebibit sine noxa venenatum poculum, et ut nobis quoque potus non sit noxius. Quarto, et aquam et salem ob memoriam baptismi, ut beneficii in eo accepti et promissionis nostræ factæ crebro recordemur, adeoque salem sapientiæ christianæ nostris operibus admisceamus, nec vivamus uti gentiles. Quinto, oleum ob memoriam misericordiæ divini et olei illius, quod Samaritanus noster Christus vulneribus nostris infudit, pretiosi scilicet sanguinis sui, quo inungimur et sanctificamur in baptismo, confirmatione, extrema unctione. Sexto, cereum paschalem ob memoriam resurrectionis Christi: cereum Dei agnum ad exprimendum, et digito quasi demonstrandum verum illum Agnum, qui tollit peccata mundi, quemadmodum dixit Baptista: *Ecce Agnus Dei*: cereos vero alios partim ad repræsentandam Deiparæ virginitatem, quemadmodum de cereis in purificatione benedicti solitis diximus, partim ad repræsentandam Deiparæ virginitatem, quemadmodum de cereis in purificatione benedicti solitis diximus, partim ut fidei vivæ charitatē scilicet ardentis, et bonis operibus lucentis nos admoneant. Septimo, cineres, ut ingerant nobis mortis memoriam et instigemur ad penitentiam, quam in cinere et sacco veteres agere soliti erant. Octavo, palmas, ut victoriæ Christi de morte, peccato et diabolo obtentæ nos admoneant, et ad vincendum diabolus, et peccata similiter nos invitent, etc.

Secundo, benedicuntur ad deletionem venialium peccatorum, saltem ex opere operantis; quatenus mentem ad pium aliquem motum peccatis venialibus contrarium, vel etiam ad formalem penitentiæ actum excitant. Hic enim effectus inter alios petitur in benedictione, et haud dubie impetratur, præsertim si cum animi sensu et consideratione mysteriorum, quæ sacris illis rebus menti imprimitur, adhibeatur causa.

Tertio, ad fugandos dæmones et curandos morbos, aliaque mala avertenda, prout in cujusque rei benedictione postulatur. Hos autem effectus superstitione carere ostendi potest ex lege veteri, in qua aqua zelotypiæ a divina institutione miram vim habuisse ostenditur, Num. V. aqua expiationis ad purificandos Judæos, Num. XIX. aqua Jordanis ad curandam lepram Naamani, IV. Reg. V. sal in aquam missus ab Elisæo eandem persanandam, IV. Reg. II. oleum ab apostolis adhibitum ad curandos ægros, Marc. IV. Habuisse autem res benedictas mirificam et supernaturalem vim ad effectus indicatos, constat, ex probatissimis et antiquissimis scriptoribus quorum multi sanctitate vitæ insignes fuerunt. Talia de Josepho quodam comite, scribit Epiphanius, hæ-

resi XXX. de S. Marcello Apameensi, Theodoretus, lib. V. c. XXI. de S. Macario, Palladius, cap. XIX. de S. Hilarione, Hieronymus, in ejus vita: de S. Fortunato, Gregorius, lib. II. dialog. cap. X. de S. Germano episcopo Antissiodorensi, Beda, lib. 1. hist. Angl. XVII. et lib. V. c. IV. de nobilissima femina, quæ haustu aquæ benedictæ ita mox convaluit ut ministraret mensæ, de S. Malachia, Bernard. in ejus vita, de ipso S. Bernardo scriptor vitæ ejus, l. III. cap. V. Hi enim ut plurimos alios taceam (quis enim recensere posset?) aqua, pane vel oleo benedicto curarunt morbos, vel solverunt incantationes, vel alia averterunt mala.

Quid ad hæc hæretici? Figmenta hæc catholicorum esse dicunt. Sed quomodo fieri potest, ut tanta tanti viri tam diversis temporibus confinxerint vel scripserint mendacia, ut christiano orbi imponerent? Quomodo non ab hostibus Ecclesiæ et æmulis suis, vel etiam viris bonis sui temporis mendacii redarguti et convicti sunt? Novatores, qui heri venerunt, tam antiquorum patrum censores minime audimus.

Deinde, hæc talia dæmonum præstigia fuisse clamant. Sed quomodo per hæc talia præstigiæ dæmonum dissolutæ dissipatæ fuerunt, si ipsæmet præstigiæ fuerunt? *Si Satanas Satanam ejicit, quomodo stabit regnum ejus?*

Dicunt aliqua istorum gentilibus usitata fuisse, veluti aquam lustralem: sed respondet Cyrillus Hierosol. cathec. III. « Ut illa, quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur, sic contra aqua simplex per S. Spiritus, Christi et Patris invocationem, acceptam virtute, sanctitatem consequitur. Si quid ergo ex his prius ethnicum et immundum fuit, christiana sanctificatione christianum et sanctum fit.

Sed non semper, inquit effectum sortiuntur. Respondemus, verum id esse, quia sacramentalia ista non habent vim ex pacto Dei expresso, sicut habent sacramenta: sed ex precibus Ecclesiæ et devotione utentium, quemadmodum et ipsæ preces non semper obtinent, quod petunt, variis de causis. Cur autem non semper effectum suum producant. Causa prima est; peccatum utentium, velut quod superstitione iis utuntur qui inversa quodammodo hasta currunt in dæmonem seque magis quam illum lædunt quomodo enim sacræ res cum dæmonum prosint cultu: *Quæ conventio lucis ad tenebras?* Item qui iis non utuntur ad finem ab Ecclesia præscriptum, sed ad alienum; quo casu mirum non est, si non operentur, quia vim et sanctificationem a precibus tantum, quibus sanctificatæ sunt, sortiuntur.

vel qui in statu peccati sunt. De signo crucis scribit S. August. tr. L. in Joan. *Signum Christi a nobis expellit exterminatorem, sicut cor nostrum recipiat Salvatorem*: et S. Eligius, in sua concione, apud Audoenum, l. II. de S. Eligio, c. XVI. *Profecto magna res est signum Christi et crux Christi, seâ illis solis prodest qui faciunt mandata Christi*. Secunda causa est, modica fides et exiguus honor, qui sacris illis rebus impenditur. Quemadmodum enim Christus in patria sua; *Non fecit virtutes multas propter incredulitatem illorum*, ut inquit S. Matthæus, cap. XIII. ita si benedictiones et res benedictas in postremis ducamus et exiguo honore dignemur, mirum non est, si earum virtutem non experiamur. Non honorabant illi Christum, sed spernebant; quod etiamnum rebus sacris faciunt non pauci. Minus adhuc mirum, si nihil inde fructus capiant, qui neglectis sacris his remediis currunt ad superstitiosa, et ex his potius opem quærunt. Quibus jure contingit, quod Ochoziæ regi Juda, qui ægrotans relicto vero deo suo, misit ad consulendum Beelzebub, ideoque juxta prophetiam Eliæ in lecto suo extinctus est, IV. Reg. I. futurus alioquin incolumis, si spretis idoli mendaciis, opem a Deo suo petisset, ut observat ibi Abulensis, q. XII. Pari ratione, qui cum in promptu et domi habeant res benedictas, pro illis tamen vel una cum illis adhibent superstitiones, indignos sese faciunt beneficio divino.

Tertia, majus bonum utentium, quando scilicet non prodest eis liberari, vel perseverari a morbo similive plaga. Ita in simili dicit S. Chrysost. in III. col. hom. VIII. *Morbis imperans terribile est, hoc nomen; et si non abegeris morbum, non hinc est, quod infirmum sit hoc nomen; sed quod utilis sit morbus*. Utilis inquam, vel ad declinandam peccata in futurum, vel ad expianda præterita, vel ad meritum patientiæ angendum, vel ad exemplum patientiæ aliis præbendum.

Quarta, ne propter hoc religio quæratur, quæ propter aliam magis vitam, ubi mala non erunt omnino ulla quæranda est, inquit S. August. lib. XXII. de civ. c. XXII.

Respondemus, deinde multa etiam nostro ævo mira multis contingere beneficio rerum benedictarum, sed non innotescere nisi paucis: eo quod minus sedulo vel observentur et æstimentur, vel propalentur ac divulgentur: multique ita comparati sunt, ut omnia potius quam hæc et similia nosse velint. Quod etiam sui temporis miraculis contigisse scribit S. August. lib. XXII. de civ. cap. VIII. Plurima talia collegit pater Gretserus, in lib. de benedictionib. Inter multa ejusmodi miracula illustre hoc antiquum est illud, quo monachi Boiorum lignea cistula sacris, ut vo-

cant, Agnis Dei impleta, in ipso armamentarii incendio, (quo omnia alia absumpta flammis vel liquefacta erant,) perstitit integra, ambusta quidem, sed integris Agnis Dei, apud Gretserum, de benedict. II. Vidi ipse non semel in monasterio S. Altonis (soli mihi patrio) unam ex illis cereis icunculis fumo quidem nonnihil offuscatam, sed prorsus integram et illæsam. Deinde, multorum testimoniis confirmatur panes benedictos multis annis servari incorruptos, ut etiam scribitur in vita Bernardi, l. IV. c. IV. Similiter plures testatum faciunt, multisque compertum est aquam benedictam, baptismatis præsertim, longo sæpe tempore incorruptam perseverasse, adeoque puram et limpidam, ac si e fonte primum hausta fuisset. Testis hujus rei apud Græcos S. Chrysost. hom. de baptismo Christi; apud Latinos Manuel Caleca, libro IV. contra Græcos, quos redarguit, quod Latinis falso imponerent, hoc apud ipsos non contingere; apud Germanos Jacobus præpositus Steynizensis, in reformatione Styriacæ, part. I. c. IX. qui in Weissenfelsia aquam baptisterii per annos viginti novem inter hæreticos conservatam, invenit integerrimam, et purissimam. Jucundum est, quod narrat Gretserus, de bened. lib. I. c. X. de moniali in Livonia, quæ inter hæreticos per annos quadraginta aquam benedictam conservavit illibatam, eaque multis salutem attulit, hæreticorum denique ministros mire confudit. Plura ejusmodi miracula qui cupit, adeat Gretserum, de benedictionibus et maledictionibus.

Denique, non dubium, nos usu rerum benedictarum sæpe etiam nescientes beneficia divina capere, siquidem magis ad præservandum, quam ad liberandum a noxis hominem, solent benedicti. Non est autem facile nobis scire, in quæ mala incidissemus, si sacris amuletis muniti non fuisset. Veneficarum torturæ et quæstiones docent, quam multis hominibus nocere possent, nisi arcerentur a sacra illa armatura. Quare, auditores, ab usu et veneratione benedictionum non modo non resiliamus, propter oblatrantes canes, sed potius resumamus animum impensius deinceps iis addici, ut ita per benedictiones istas disponamur et ducamur ad benedictionem Patris cœlestem.